

ingrediendo fecerant, quanquam id contra externas tentationes utiliter fieri possit.

5° Aquæ benedictio quibusque dominicis diebus, exceptis dominicis Paschæ et Pentecostes, facienda est, ut ex Missali Romano colligitur *Gavantus, Merati, Ferraris*. Id jam fieri consuevisse, juxta canones, testatur *Micrologus*, cap. 49, et idem præscribit *Rituale nostrum* parte secunda. Si sanctissimum exponatur Sacramentum, juxta *Missale nostrum*, benedictio aquæ fit in sacristia.

6° Hæc benedictio est sacerdotalis; a clerico inferiori fieri non potest, et sacerdos excommunicatus aut suspensus eam faciens, fieret irregularis; *Ferraris, v° Aqua benedicta*, n. 4.

7° Aspersio aquæ benedictæ nunquam omittitur diebus dominicis, ut expresse habent *Gavantus* et *Merati*, et *Missale Romanum* evidenter supponit: per ipsum facienda est celebrantem alba et stola cum pluviali coloris diei indutum, etsi in prima dignitate constitutum, non obstante contraria consuetudine, quæ potius corruptela quam consuetudo dici debet, cum sit contra rubricas *Missalis* et dispositionem *Cæremonialis episcoporum*, l. 2, cap. 30; *S. Cong. Rit.* 27 nov. 1632 et 16 nov. 1649.

8° Episcopus tamen celebraturus aspersionem non facit, sed ejus loco simplex sacerdos cum superpelliceo et stola; sic, referente *Gavanto*, statuit *Greg. XIII*, 30 decembris 1573, et *Cæremoniale episc.*, l. 2, cap. 31, dicit, episcopo solemniter celebraturo, aspersionem omittendam esse. Sic etiam habet *Missale nostrum*.

9° Non aspergitur altare in quo sanctissimum expositum est Sacramentum, ut expressis vocibus asserit *Gavantus*; sed aliæ consuetæ fiunt aspersiones.

10° *S. Congr. Rit.*, die 26 nov. 1605, decrevit canonicos singulatim aspergendos esse, incipiendo ab iis qui sunt in cornu dextro, non vero unico ictu in circulum; ipsum præsentatur aspersorium episcopo, manum ejus osculando. Cæteri per ictum circulosum asperguntur.

11° Episcopo ad ecclesiam accedenti præsentandum est

aspersorium, non a vicario generali aliave dignitate eum comitante, sed a paroco vel a digniore illius ecclesiæ, vel a capellano, si de capella agatur, et non a paroco in cujus territorio existit capella, ut diserte ostendit *Benedictus XIV*, *Inst.* 105, § 128.

12° Dicta *S. Rit. Congr.* declaravit, die 7 junii 1704, gubernatori civitatis, et a fortiori alteræ dignitati civili, judiciali aut militari eo superiori, ad ecclesiam accedenti, præsentandam esse aquam benedictam per aspersorii contactum, non vero per illius traditionem.

13° Ad consequendos effectus aspersionis, non requiritur ut aqua benedicta res aut personas physice tangat; contactum moralem sufficere docent *Quarti* et *Ferraris*, si personæ ad quas dirigitur aspersio eam aliquo signo externo, v. g., inclinatione, signo crucis, acceptent; vel, ubi res inanimatæ benedicuntur, si aspergens intentionem suam ad omnes dirigat, tunc illæ ad quas aqua sanctificata non pervenit physice, nihilominus sunt benedictæ.

14° Aquam benedictam in usus profanos convertere ex contemptu, peccatum est mortale: citra contemptum, v. g., ad humectandum atramentarium, juxta quosdam esset duntaxat peccatum veniale, quia ipsomet usu profano hæc aqua benedictionem suam amitteret; juxta alios non rigidiores, peccatum foret mortale, propter gravem indecentiam ac irreverentiam. Eamdem aquam ad usus evidenter supersticiosos scienter adhibere, peccatum procul dubio mortale esset.

## ARTICULUS SEXTUS.

### DE ALTARI ET EJUS ORNAMENTIS.

#### § I. — De altari.

1° Altare sic vocatur ab *altitudine*, juxta plures auctores, et nomen sortitur ab antiquis ethnicis, qui sacra in ædificiis a terra elevatis faciebant diis superis: juxta alios sic appellatur, quia est *alta res* vel *alta ara*. Sæpe etiam dicitur *mensa*, quia super illud præparatur victima edenda.

2° Noe primus videtur in Genesi ædificavisse altare Dominum, et ab ejus ætate semper exstiterunt altaria. Scimus quid ipse Deus præscriperit per Moysen in veteri Lege circa templum et altare; Apostoli et primi eorum successores usum altaris habuerunt, ut patet his B. Pauli verbis, I Cor. IX, 13: *Qui altari deserviunt, cum altari participant*; et Hebr. XIII, 10: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. S. Ignatius, S. Irenæus, Orig., Eusebius, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Optatus Milevitanus* aliique priorum sæculorum Patres aram Dei et altare nominant aut evidenter supponunt, ut Card. Duperron, Bona, Devoti, etc., expressis testimoniis ostendunt adversus Calvinianos qui, præsentiam realem negantes, impudenter asserebant per tria priora sæcula Christianos non habuisse altaria in stricto sensu dicta.

3° Duplicis generis sunt altaria: alia immobilia seu fixa, et alia portatilia.

Altaria immobilia seu fixa ea sunt quæ in ipsa consecrationis operatione in basi sua solidantur, ita ut moveri non debeant. Altaria vero portatilia sunt lapides mobiles, qui seorsim consecrantur, non nisi post consecrationem collocantur et ad nutum de loco ad locum transferri possunt: ideo dicuntur etiam viatica. Sepulcrum sacrarum reliquiarum est sub altari fixo, id est sub ara lapidea. Triplici modo sepulcrum reliquiarum disponi potest: 1° in medio tabulæ altaris, a parte superiori, si nempe tabula effodiatur aut perforetur in medio; 2° in stipite, a parte anteriori vel superiori; in utroque casu episcopus claudit sepulcrum cum lapide convenienter aptato; 3° sepulcrum potest esse in summitate stipitis et ipsa mensa altaris supra illud ponitur, ut explicatur in Pontificali, ad calcem tituli *De altaris consecratione quæ fit sine dedicatione ecclesiæ*. Ultimus hic modus nunc videtur magis usitatus saltem apud nos.

4° Primitus erant lignea, ut plurimum; deinde præscriptum est ut essent lapidea, quia *Petra erat Christus*, I Cor. X, 4. « Altaria si non fuerint lapidea, chrismatis » unctio non consecrentur; » Decreti 3 parte, dist. 1,

can. 31. Canon ille ex concilio Epaon., anno 517, can. 26, eductus est; *Labbe*. Sufficit tamen ut sint lapidea in ea parte in qua consecrantur: unde altare ligneum cum ara lapidea permittendum esse censuit S. Congr. Rit. 10 nov. 1612. Aræ illius magnitudo talis esse debet ut pes calicis et hostia in ea commode capi possint: ita communiter tenent doctores, ait *Ferraris*, v° *Altare*, n. 6; et inter altare fixum ac portatile non distinguunt. Itaque merito inde concluditur necessarium non esse ut ara lapidea sit longa; si immobiliter sit fixa, et in eo statu consecretur, erit altare fixum seu immobile, quamvis ordinarie totam longitudinem altaris teneat.

5° Quidam arbitrati sunt altaria per solam missæ celebrationem consecrari; sed concil. Agathense, anno 506 celebratum, can. 14 relato in Decreto, dist. 1, can. 32, habet: « Altaria placuit non solum unctioe chrismatis, » sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. » Certum est igitur sacrificium eucharisticum peragi non posse nisi in altari, sive fixo, sive portatili, ab episcopo consecrato; et si de consecratione illius dubitetur, consecrandum est antequam missæ super illud celebrentur; Decret. dist. 1, can. 18. Qui secus ageret, mortaliter peccaret; « Cum » hæc sit transgressio gravis legis et consuetudinis ecclesiasticæ, in qua nec episcopus dispensare potest, » inquit *Ferraris*, v° *Altare*, n. 41.

6° Expresse prohibitum est presbyteris, Decreti part. 1, dist. 68, can. 4, et part. 2, causa 26, q. 6, can. 3, ne altare præsumant consecrare; nec episcopus ad id simplicem presbyterum delegare potest, quia in jus commune canonicum non habet potestatem. Summus vero Pontifex, cum ab illo jure dispensare possit, facultatem altaria consecrandi simplicibus conferre potest presbyteris, et reipsa Leo X hanc concessit facultatem fratribus ordinis Minorum ad Indias Orientales proficiscentibus, Paulus III presbyteris societatis Jesu, ut in locis remotissimis infidelium ubi episcorum copia non habetur, altaria consecrare possint et Pius VI eandem dedit potestatem pluribus sacerdotibus Gallicanis tempore persecutionis in fine ultimi sæculi exortæ.

7° Abbates et praelati, usu pontificalium gaudentes, altaria consecrare possunt, sed pro ecclesiis et religiosis sui ordinis tantum, ut Congr. Episc. et Regul. pluries decrevit.

8° Inter theologos et canonistas controvertitur an reliquiae sanctorum ad essentiam consecrationis altarium sint necessariae: plures negant, dicentes nullibi expressum inveniri praecipuum de ponendis reliquiis in altaribus consecrandis, aut praecipuum in nonnullis canonibus expressum non fuisse universaliter receptum, vel saltem per contrariam consuetudinem abrogatum fuisse. Pro hac opinione citantur *Sotus, Suarez, Vasquez, Layman*, etc. Alii vero, nunc saltem, communius, ut *Sylvius, Azor, Habert, Tournely, Gavantus, S. Ligorius, Ferraris*, etc., contendunt reliquias sanctorum ab Ecclesia approbatorum ad consecrationem cujuslibet altaris, sive fixi, sive portatilis, omnino necessarias esse; et nituntur 1° canone 26, dist. 1, 3, part. Decreti, ex concilio Africano deprompto, in quo praecipitur ut altaria reliquiis carentia ab episcopis eventantur; 2° concilii Nicæni II, can. 7, ubi dicitur nullum consecrari templum sine reliquiis sanctorum; 3° consuetudine Ecclesiae, per orationem, *Oramus te per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt*, etc., sufficienter indicata; 4° pluribus S. Congr. Rit. decretis, in quibus supponitur legitima non esse altaria sine reliquiis.

9° Non est dubium quin summus Pontifex a conditione ponendi reliquias in altaribus dispensare possit, et in eo casu, licet plures arbitrentur voces, *quorum reliquiae hic sunt*, omittendas esse, et dicendum, *Oramus te per merita sanctorum tuorum ut indulgere digneris*, etc., probabilius tamen videtur nihil esse mutandum; quia, cum ex lege communi hic adesse soleant reliquiae, verba, *quorum reliquiae hic sunt*, verificantur, etiam in casu in quo per accidens desunt, sicut *Dominus vobiscum*, et *Vobis, fratres, Misereatur vestri*, etc., ubi unus assistit. Ita *Merati* et plures cum illo.

10° Ubi reliquiae sanctorum deficiunt, particulam hostiae consecratae reponere non licet in altaris sepulcro, reliquiarum loco: esset quippe manifestus Sacramenti

abusus. Attamen quando de altari fixo agitur, major fit reliquiarum fovea et in ea includi solent, cum caeremoniis in Pontificali descriptis, nomen episcopi consecrantis et sancti in cuius honorem altare consecratur; *Ferraris*, v° *Altare*, n. 18. Fovea autem in altari fixo ordinarie fit sub ara, etiam in massa. In altari vero portatili parvum faciendum est foramen in una facie, vel melius in uno latere. Solae ibi reconduntur reliquiae in modica quantitate et saltem duorum sanctorum ab Ecclesia approbatorum, et episcopali sigillo cum cera muniuntur: fovea vel foramen ita sigillo munitum vocatur *sepulcrum*.

11° Altaria non consecrantur sine unctionibus cum sancto chrismate et oleo catechumenorum; quae unctiones ad essentiam consecrationis pertinent, et solus Papa ab illis dispensare posset. Unde Pius VI, ad diversa quæsitæ a presbyteris Gallicanis sibi proposita, die 26 julii 1794, respondens, facultatem eis concessit missam sub dio vel in quolibet loco, supra altaria portatilia, sine ministro celebrandi, et altaria portatilia consecrandi *cum oleis tamen ab episcopo benedictis*. Conditionem reliquiarum non apposuit: eo ipso ab illa dispensasse censetur. Hinc factum est quod multa existant altaria portatilia in ecclesiis locata in quibus nullum invenitur reliquiarum vestigium. Nunc prorsus irregularia videntur.

12° Primis temporibus, testimoniis *S. Ignatii, S. Irenæi, S. Cypriani, Tertul., Eusebii*, etc., constat unicum fuisse altare in unaquaque ecclesia, ad unitatem Christi, Ecclesiae et sacerdotii perfectius significandam: Græci huc usque unum tantum habent altare in ecclesiis; sed in circuitu ecclesiae, exterius, juxta *Grancolas*, plura sunt, et olim apud Latinos plura erant oratoria in quibus privatae dicebantur missae. Imo, in nonnullis ecclesiis, per exceptionem, plura erant altaria: *Arringhi* et *Boldetti* id concludunt ex eo quod in eadem ecclesia plura erant martyrum corpora, quia super unumquodque erigebatur altare. In basilica Vaticana plura erant altaria. Constantinus tria curavit erigenda in ecclesia S. Sepulcri. *S. Greg. Magnus*, Epist. l. 6, epist. 59, agit de decem et tribus altari-

bus in eadem ecclesia dedicandis, et ex eo tempore valde multiplicata sunt. Non prohibetur ne plura sint altaria fixa in eadem ecclesia: imo in Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 5, legitur: « Noveris quod plura in ecclesia una altaria... » poteris simul consecrare. » Non ibi agitur de altaribus portatilibus quæ communiter in ecclesia non consecrantur. Ergo.

Si a S. Sede indultum locale altaris privilegiati concedatur, neque ulla facta sit mentio de qualitate altaris, necesse est ut sit fixum et consecratum, ex responsione S. Cong. Indul. anni 1841.

18<sup>o</sup> S. Rit. Cong. respondit, die 3 augusti 1697, antiqua tantum altaria sanctis Veteris Testamenti dicata esse permessa. Ex eo igitur tempore non licuit istiusmodi dedicare altaria.

§ II. — De altarum exsecratione et pollutione.

Pluribus modis exsecrantur altaria, ita ut nova consecratione indigeant, videlicet:

1<sup>o</sup> Si tabula altaris fixi, id est, lapis superpositus, cui adhibita fuit episcopalis consecratio, enormiter confracta vel imminuta fuerit, ita ut pars remanens calicem et hostiam cum patena commode amplius continere nequeat; Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 1 et 3: si vero ille lapis modice tantum confractus aut minutus fuisset, v. g. si cornua solummodo essent confracta, altare non esset exsecratum, nec denuo consecrandum; Decretal. *ibid.*, cap. 6. In dubio autem res committenda est iudicio episcopi.

2<sup>o</sup> Quando prædictus lapis seu mensa superior consecrata movetur a basi cui erat immobiliter affixa, altare denuo consecrandum est, ut expresse habetur in Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 1 et 3. At si tabula superior structuræ inferiori immobiliter affixa non esset, sed de loco ad locum una cum sepulcro commode transferri posset, suam hac translatione non amitteret consecrationem, quia non fixum, sed mobile esset altare; *Ferraris*, n. 24.

3<sup>o</sup> Altare portatile non exsecratur per motum vel separationem a lignis aut cæmentis quibus circumdatur, cum

eo fine consecratum fuerit ut moveatur; neque per modicam fractionem, dum idem moraliter remanet... contra vero exsecratur si anguli in quibus ponitur chrisma notabiliter minuuntur, aut ipsum ita frangatur ut pars remanens calicem et hostiam cum patena commode continere non possit. Ita generaliter theologi et canonistæ; *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Altare*, n. 3<sup>o</sup>. Probabilius videtur amissionem unius crucis, modo pars remanens late sufficiat ad continendum calicem et patenam, exsecrationem altaris non inducere.

4<sup>o</sup> Altare, sive mobile sive immobile, ut exsecratum haberi debet, si fractum fuerit sepulcrum aut amotæ reliquæ; quia licet plures contenderint reliquias ad essentialiam consecrationis non pertinere, consuetudo Ecclesiæ est altaria sine reliquiis non consecrare, et, fracto vel amoto sepulcro, iterum consecrare. Ita tenent *Sylvius*, *Pontas*, *Habert*, *Layman*, *Tournely*, *Ferraris*, *S. Ligorius*. In confirmationem hujus sententiæ plura citantur decreta Congr. Rit., nempe 5 martii 1603 et 5 martii 1623, in quibus expresse dicitur: « Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur » repositorium reliquiarum. Celebrari non potest super » altare a quo furtim, non amota vel fracta mensa, sub » tractæ fuerint reliquæ a militibus, nisi altare de novo » consecretur; » *S. Ligorius*, l. 6, n. 369.

Non sufficeret ergo reliquias, et ipsas e sepulcro extractas reponere et obsignare, quidquid in contrarium, ex errore, dicant *Collet*, *Rit. Bellic.* t. 1, n. 1000.

5<sup>o</sup> Plures tamen, ut *Sporer* et *Tournely* apud *S. Ligorium* qui eis consentire videtur, dicunt quod, urgente necessitate, in altari reliquiis carente celebrare liceat.

6<sup>o</sup> Ex decretis S. Congr. Rit. 10 nov. 1599, 2 junii 1629 et 13 junii 1635: « Si sub altari vel sub ejus gradibus » humata sint defunctorum cadavera, non est illic celebranda missa, donec alio transferantur. » Excipitur tamen, apud *S. Ligorium*, si cadavera sint profunde inhumata, in aliqua cella sub fornice constructa; quia cadavera videntur sufficienter ab altari separata, ut verba,

quorum reliquiae hic sunt, in ea non cadant. Vide Ferraris, v<sup>o</sup> Altare, n. 48.

7<sup>o</sup> Lapidis altaris exsecrati, ipsamet mensa quae fuerat consecrata, licite vendi et ab emptore retineri possunt, dummodo tamen in loco decenti et honesto collocentur. S. Congr. Rit. 9 maii 1606.

8<sup>o</sup> Polluta vel violata ecclesia, eo ipso polluitur altare in ea fixum; quia pollutio totam afficit ecclesiam, ac proinde altare ei immobiliter adhærens: verum exsecratio ecclesiae non importat exsecrationem altaris et a fortiori, exsecratio altaris non facit ut ecclesia sit exsecrata; Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 1. Ratio est, quia consecratio ecclesiae et consecratio altaris sunt duae actiones distinctae, ab invicem separabiles; una fit in parietibus templi, et altera in mensa altaris.

Altaria portatilia non exsecrantur, nec polluntur per exsecrationem vel pollutionem ecclesiae, quia ab illa sunt omnino distincta.

9<sup>o</sup> Altare ab episcopo consecratum, vel in ecclesia consecrata erectum, absque licentia episcopi destrui non potest; non potuit enim absque illius licentia erigi, ex cap. 25, dist. 1 tertiae partis decreti: ergo nec destrui potest, quia unum aliud importare videtur. Altaria non consecrata et in ecclesiis non consecratis a simplicibus presbyteris erigi et destrui possunt, seclusa episcopi prohibitione, ut communiter sentiunt canonistae et fert praxis. Non benedicuntur, quia sola petra consecrata est proprie loquendo altare; id est, altare portatile: caetera sunt ejus ornamenta.

10<sup>o</sup> « In altari in quo episcopus missam cantavit, presbyter eodem die missam celebrare non praesumat. » Propria sunt verba can. 97, dist. 2 tertiae partis decreti; sicque, ex glossa, statutum fuit propter reverentiam debitam episcopo, qui igitur licentiam super altari praedicto celebrandi concedere potest. Plurimi volunt hanc juris dispositionem vel nunquam obtinuisse, vel contraria consuetudine desiisse. Verum Bened. XIV, Const. In postremo, 10 octob. 1756, § 9, asserit hoc communi sententiae

adversari, et in bene constitutis diecesibus privilegium episcopale religiose custodiri. Attestatur insuper in « altaria pontificia intra patriarchales urbis basilicas non posse quemquam celebrare missam, nisi id ipsi fuerit » a Romano pontifice per Apostolicum breve indultum: » et idem observandum respectu altarium a summo Pontifice consecratorum, ad certas ecclesias missorum, atque papalium honoris causa declaratorum.

### § III. — De ornamentis altaris.

Præcipua ornamenta quae requiruntur sunt mappae, crux et lumina.

*Mappae.* Vetustissimus est usus altare linteaminibus cooperire. « Quis fidelium nescit, inquit S. Optatus Milevitanus, l. 6, in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine operiri? Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum; » id est altare, quia tunc in Africa altaria erant lignea. Refertur quemdam Proculum, ab impio Genserico adversus catholicos missum, e linteis altaris subuculas et femoralia sibi fecisse. In Decreto, tertia parte, dist. 2, cap. 27, statuitur quod si per negligentiam aliquid de sanguine Christi super altare ceciderit, et usque ad quartum linteamen pervenerit, celebrantem viginti diebus poeniteat. Supponitur ergo tria esse linteamina, præter corporale.

Rubrica Missalis Romani praescribit tres esse mappas vel tobaleas mundas, ab episcopo vel ab alio potestatem habente benedictas, superiorem saltem oblongam usque ad terram pertingentem, quod hodie non est in usu, inquit S. Ligorius, l. 6, n. 375, et duas alias breviores, vel unam duplicatam quae mensam altaris bis cooperiat, ita ut sub corporali tria sint linteamina munda, independentia a linteamine crasso quo nonnunquam petra sacra involvitur. Illud namque involucrum, saepe squalidum, haberi non potest ut mappa.

Mappae dicuntur in jure *lintae* vel *linteamina*: hinc recte concluditur eas ex puro lino conficiendas esse. Sed probabilius et communissime tenent auctores eas ex cannabe

confectas sufficere. Non admittitur pannum quamvis album sive ex lana, sive ex serico, saltem pro corporali, ut patet ex Decreto, 3 part., dist. 1, cap. 46 : « Statuimus ut » sacrificium altaris non in serico panno aut tincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro lineo ab episcopo » consecrato. » Xylinum (*le coton*), decreto S. Cong. Rit. diei 15 maii 1809, diei 28 ejusdem mensis et anni, approbato a Pio VII, omnino prohibetur pro linteaminibus ad divinum sacrificium destinatis. Permittit tamen S. Cong. ut amictus, alba et mappæ ex xylyno confecta inserviant, sed vetat ne alia conficiantur nisi ex lino aut cannabe.

Ut probabile docetur apud *S. Ligorium*, qui huic sententiæ adhæret, uti mappis non benedictis culpam venialem non excedere, et in necessitate etiam non gravi mappa communi, ad usus communes postea reddenda, uti licere.

Celebrare cum una aut duabus tantum mappis, sine necessitate, peccatum esset saltem veniale, quia notabilis foret infractio rubricæ a Clemente VIII præscriptæ; sine ulla mappa et extra necessitatem, peccatum haberetur ut certo mortale : sic autem in gravi necessitate agere, puta, ad dandum viaticum moribundo, vel ne populus die festivo missa careat, communis opinio tenet nullum fore peccatum.

Pars anterior altaris, nisi sit marmorea, vel aliter ornata, paramento, vulgo *devant d'autel*, coloris diei convenientis decorari debet, ut expresse *Gavantus* et *Merati* docent.

*Cruces*. Bened. XIV arbitratur, de Missæ sacrif. l. 1, cap. 3, a traditione Apostolica derivatum esse ut quis sine cruce in altari posita missam non celebraret. Communius tamen tenetur hunc usum in primis sæculis non exstitisse, vel universalem non fuisse, et ideo nunc adhuc in pluribus ecclesiis celebrantem ad altare progredientem, parvam deferre crucem in altari collocandam. Carthusiani et Dominicani ad cornu epistolæ dicunt *Kyrie, elison, Gloria in excelsis*, et populum salutant; quia olim, cum in medio altaris crux non existeret, nulla erat ratio cur sacerdos huc ad populum salutandum rediret.

Cum Rubrica simpliciter dicat, *super altare collocetur*

*crux in medio*, Rubr. gen. tit. 20, n. 1, et de imagine Christi in cruce affixi sileat, plures crediderunt nudam crucem illius dispositioni sufficere. Sic *Merati*. Alii vero longe communius requirunt, saltem sub veniali, crucem cum imagine crucifixi. Verum Bened. XIV in Const. *Accepimus*, 16 junii 1746, dicit : « Illud permittere nullatenus possumus, quod missæ sacrificium in his altaribus » celebretur quæ careant imagine crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante presbyterum celebrantem, vel » ita tenuis et exigua sit ut ipsius sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat. » Declarat id alienum esse a legibus Ecclesiæ, sacræ antiquitati et ecclesiarum etiam Orientalium consuetudini maxime contrarium. Deinde refert rubricam Missalis, Pontificalis Romani, Cæremonialis episc. et ritus ecclesiarum Orientalium.

« In altari in quo adest magna statua sanctissimi crucifixi, non est necesse ut ponatur alia crux, dum celebratur missa. » Sunt verba S. Congr. Rit. 16 junii 1663, in indice *Merati*, n. 400. Communius tenent auctores hanc decisionem valere, sive imago Christi crucifixi sit calata, sive picta, modo non sit exigua, et ante celebrantem commode statuatur.

Ex eodem autem S. Congr. decreto, crux parva, cum imagine crucifixi, posita super tabernaculum in quo aservatur inclusum sanctissimum Sacramentum, non est sufficiens in missa; sed alia ponenda est crux in medio candelabrorum : si vero crux in tabernaculo posita eminentes esset, alia non requireretur.

S. Congr. Rit. die 14 maii 1707, definierat crucem cum imagine crucifixi ponendam esse in altari, ubi sanctissimum Sacramentum venerationi fidelium exponitur, ut ubi celebraretur missa. Sed eadem Congregatio, re de novo perpensa, decrevit, die 1 sept. 1740, ut quælibet ecclesia morem quem antea servabat, in posterum retineret; Bened. XIV, in Constitutione citata.

Sacerdos qui, absque necessitate, celebrat sine cruce, a peccato saltem veniali excusari non potest, ut patet ex dictis. Verum *Suarez, Layman, Bonacina, Tournely, Me-*

rati, aliique communissime docent peccatum esse duntaxat veniale, et nullum, si rationabilis adsit causa.

Cruces altarium seu processionum non sunt de præcepto benedicendæ; Congr. Rit. 12 julii 1704, in indice *Merati*, n. 584. Potest simplex sacerdos eas benedicere privatim, non vero solemniter, ut fert idem decretum.

Similiter et imagines quæ in templis adhibentur, benedici possunt, idque congruum est, non præceptum, inquit *Merati* et *S. Ligorius*, *Pignatellum* citantes. Attamen hujusmodi crucifixi et imaginum benedictio inter benedictiones episcopales in Rituali Romano collocatur: item in Rituali nostro præcipienti ut crucifixus in altari collocandus sit benedictus, et supponenti, 2 part., thecam reliquiarum et imagines sanctorum benedicendas esse a sacerdote recte delegato.

*Lumina.* Usus luminum inter sacra peragenda est antiquissimus: existebat quippe in veteri Lege, ut patet ex descriptione lucernarum accensarum et candelabri aurei pretiosissimi in cap. xxv Exodi facta; a Judæis ad Christianos transiit. Primum sæpe necessariae erant lucernæ, quia sacra mysteria, ob metum persecutorum, in cryptis celebrari solebant: sed propter alios fines eas fuisse adhibitas testatur *S. Hieronymus* adversus *Vigilantium*, 2 part., dicens: « Per totas Orientis ecclesias, quando legendum » est evangelium, accenduntur luminaria, jam sole ruti- » lante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum » lætitiæ demonstrandum. » Multa alia citari possent testimonia ex quibus aperte deducitur cæcutire Protestantes, quando affirmare audent non nisi ob necessitatem adhibita fuisse luminaria, in tribus primis sæculis, ad sanctissima mysteria celebranda.

Hæc autem luminaria primitus in altari non erant posita, sed in variis ecclesiæ partibus, et præsertim ante altare, modo in forma stellæ coruscantis, modo velut circulus zonam firmamenti repræsentans, modo in machina ferrea quæ dicebatur hersia, modo in candelabris, tres, quinque, septem, etc., habentibus calamos et super pavimento locatis. Serius habita sunt candelabra lignea,

cuprea, argentea, aurea vel deaurata, saltem duo, vel quatuor aut sex, et sæpe numerosiora, hinc et inde in altari posita, cera vel oleo munita, quæ in majori vel minori numero accenduntur, juxta gradum solemnitatis. Mos invaluit ut sola admitteretur cera: igitur acolythi luminaria deferentes ceroferarii vocantur.

Rubrica Missalis præscribit, parte 1, tit. 20, ut *candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere collocentur*: ab illa recedere non licet.

Omnes fatentur celebrare sine ullo lumine, etiam ad dandum viaticum moribundo, peccatum esse mortale; quia in Decretal. l. 3, tit. 41, cap. ultimo, graviter inculpatur sacerdos qui *sine igne*, id est siue lumine, sacrificat.

Unde si ante consecrationem deficiat lumen, omnino desistendum est a celebrando: secus si post consecrationem. Ita *S. Ligorius* et plures apud ipsum, l. 6, n. 394. Si candelæ intra breve tempus reaccendi possint, expectandum est donec accendantur, et pergendum erit.

Cum, ex mandato *S. Pii V*, evangelium *S. Joannis* nunc ad integritatem missæ pertineat, illud extinctis luminibus recitare non licet: curandum est igitur ne ministri cereos ante finem hujus evangelii exstinguant; et nihilominus sacerdos turbari non debet si, dum illud evangelium recitat, minister cereos exstinguit.

Rubrica Missalis exigit ut, præter duo luminaria omnino requisita, ad *Sanctus* tertium pro elevatione in honorem sanctissimi Sacramenti accendantur; et in missis solemnibus deferenda sunt intortilia accensa.

In altari ubi expositum est *SS. Sacramentum*, sex ad minus candelæ cereæ ardere debent, ex *S. R. C.*, 15 martii 1698.

Ut probabilius docet *S. Ligorius* cum multis aliis, in casu necessitatis, non vero propter solam devotionem, licitum esse cum candelis ex sebo vel ex oleo celebrare: secus, mortale esse peccatum, quia esset derogatio universali Ecclesiæ consuetudini et in re gravi.

Unicum adhibere lumen cereum probabiliter veniale esset peccatum, secluso scandalo; et nullum, si rationa-

bilis causa celebrare suaderet, v. g., circumstantia alicujus festi, et abesset scandalum.

Cardinales, episcopi, et abbates usum pontificalium habentes, jus habent celebrandi cum quatuor candelis: id vero aliis non permittitur, nec etiam vicariis generalibus, nisi solemnitas officii postulet; Decretum Congr. Rit. 7 augusti 1627.

Candelabra et ipsæ candelæ nulla indigent benedictione, ut expresse advertit *S. Ligorius*, l. 6, n. 395, quia requiruntur tantum ad decentiam, et ita fert usus ubique receptus.

Tabulæ secretarum, vulgo *les cartons d'autels*, non sunt de præcepto.

*Mundities altarium.* Altaria in quibus divinum celebratur sacrificium, nitida semper esse debent: igitur scopis undequaque reverenter mundanda sunt, et mappæ sat frequenter mutandæ ut nunquam appareant sordidæ. Ut a pulvere, cera aliave qualibet sorde custodiantur mundæ, finitis missis, contegendæ sunt panno viridi, aut aliis stragulis ad mensuram altarium factis.

Si fides auctori *Prati spiritualis*, in initio septimi sæculi scripti, adhibeatur, singula altaria consecrata Angelum Custodem habent, sicut singulæ ecclesiæ Deo dicatæ: hæc consideratio novum subministrat motivum ea servandi munda, et non permittendi ut aliquid indecens, profanum, ad cultum divinum non attinens, in illis deponatur.

Floribus veris et fictis, pro temporum varietate, ornari decet altaria; sed vas florum aut quid simile ante ostium tabernaculi in quo depicta est imago Domini nostri Jesu Christi non est collocandum, ut declaravit *S. Cong. Rit.* 22 januarii 1701, nec etiam super tabernaculum, quia debet esse *ab omni re vacuum*, juxta Pontificale romanum.

Nihil obstat quominus statuæ aut imagines sanctorum et capsæ reliquiarum in gradibus altaris, SS. Sacramento non exposito, collocentur, non autem supra tabernaculum in quo asservatur *S. Eucharistia*.

## ARTICULUS SEPTIMUS.

DE VASIS SACRIS ET OBJECTIS AD EA ATTINENTIBUS.

Vasa sacra sunt calix, patena, ciborium et ostensorium; objecta ad vasa sacra attinentia sunt corporale, palla et purificatorium. De singulis, quantum potuerimus, breviter dicturi sumus.

## § I.— Calix et patena.

1° Constat Christum in ultima cœna calicem adhibuisse et extra omne dubium est illius usum in oblatione divini sacrificii Eucharistiæ semper exstitisse. In primis temporibus calices sæpe fuerunt lignei, vitrei, lapidei, stannei, ut ostendunt *Grancolas*, *Bened. XIV*, de Missæ sacrif. l. 1, cap. 4, etc. Non raro tamen erant argentei, aurei et etiam gemmis ac picturis ornati, ut patet testimoniis *Tertul.*, lib. de Pudicitia, cap. 7 et 10, *S. Chrysost.*, etc.

2° Sed a multis sæculis obsolevit usus calicum ligneorum, propter porositatem; vitreorum vel ex crystallo, propter fragilitatem; ex cupro, ære vel aurichalco, propter æruginem: et in Decreto, parte 3, dist. 1, can. 45, præcipitur « ut calix Domini, cum patena, si non ex auro, » omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, » saltem et stanneum calicem habeat. » Nunc apud nos calices stannei stricte prohibentur, et ab omnibus ecclesiis exigitur ut habeant calicem cujus saltem cuppa sit ex argento interius auro limita. Permittuntur calices ex gemma quæ sæpe pretiosior est quam aurum.

3° Cum olim in multis ecclesiis magna vini quantitas consecranda esset, ut omnes sub ea specie communicare possent, vel plures in altari ponebantur calices, vel unus, sed amplus et ansatus, ut facilius moveri et deferri posset. *Anastasius Bibliothecarius*, in Vita Leonis III, memorat calicem quinquaginta et octo librarum, et in Vita Gregorii III, alterum ponderis triginta et quatuor librarum.

Patena, sic dicta quia quod in ea est patet et non est oclusum sicut vinum in calice, olim tantæ erat amplitudinis ut species pro tota multitudine consecrandas conti-